

Quæ ex antiquitate Ecclesiastica porro opponuntur, jam veniunt diluenda. Producentur variæ Synodi & Concilia, auctoritates etiam illustrium Ecclesiæ Doctorem, quibus omni seculo citra scandali considerationem abstinentia sanguinis fuerit observata. Antequam ad specialem objectionum enarrationem & resolutionem progrediamur, annotabimus quædam generalia, quæ vel sine ulteriori inquisitione poterant illis solvendis sufficere. *Primo* tenenda est regula non in Patrum solum, sed Synodorum quoque Lectione observanda, *gemino oculo & has & illos esse evolvendos, uno charitatis, altero prudentiæ*, quandoquidem & seculi vitio seu consuetudine & rebus nondum satis profunde exploratis, tam publice & in Concilio, quam privatim & a magnis Antistitibus rei sacræ, identidem in multis fuerit deerratum, id quod ex omni Ecclesiæ ætate abundanter posset ostendi, si quæ dubitatio efflagitaret. Ita Apostolorum consilium tempori certo inserviturum a multis pro perpetua lege habitum testimoniis objectæ Antiquitatis perspicitur. *Deinde* quod Synodi ad methodum Concilii Solymitani vetasse perhibentur, id circa scandali considerationem non dicendæ sunt vetasse, particulares illæ præsertim, & antiquissimæ, in quarum ditionibus hæcenus multi Judæi reperiebantur, quorum conversioni procurandæ ita velificandum svadebat charitas christiana. Cur enim non dicentur ad parem cum Apostolis respexisse necessitatis in dando consilio seu condendo canone gradum? cur, quod Apostoli ad tempus volebant, licet expresse non determinatum, valere, Synodi absolute ut perpetuo servandum proposuisse judicabuntur? Si enim ad methodum primi Concilii canones rite sunt facti, non potuere citra considerationem Apostolicam, seu quam Apostoli Hierosolymis congregati facto prodebant, fieri, non habito respectu imbecillium. *Denique* privatum Doctoris aliusve fidelis de sanguinis abstinentia Judicium nil potest libertati aliorum præjudicare, cum profectum possit esse aut ex consuetudine nonnullarum Ecclesiarum, aut ex non recte intel-

intel-